

*Bibliothèque numérique*

medic @

**Botentuit Langlois, Pierre-Mathurin -  
candidat / Botentuit Langlois, Pierre  
Jean-Baptiste - président. - De  
fracturis**

**1772.**

*Paris : Typis P. AL. Le Prieur,  
Regii Chirurgorum Collegii  
Typographi,*  
**Cote : ms 2344, n°7**



*D. O. M.*  
**DE FRACTURIS.**  
**THESES**  
**ANATOMICO-CHIRURGICÆ.**

**A**DMIRABILIS corporis humani compages ita fuit ab immortali Deo comparata, ut, etiamsi nulli externis de causis per vitam imminerent morbi, solo tamen ætatis lapsu, definitum ad tempus licet diutiùs semoti ingrueret lethi dura necessitas. Ea est enim partium corpus constituentium natura, ut solo usu diuturno obliterentur. Fluida sensim auram vitalem amittunt, rigescunt solida, organa debilitantur, indurescunt vasa, sanguis rarius & pauperior diffunditur, actiones languent, vita friget, ac demum ex ipsis vivendi principiis nascitur certa moriendi conditio.

SED raro admodum, ad momentum illud ineluctabile incolumes pervenimus. Hoc, quodcumque sit, ævum vitæ sèpè spius, aut infandis doloribus excruciat, aut immaturum re-

A

H

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

secat undequaque erumpens morborum fœda proluvies. Eos  
rum assultibus obnoxia patet totius coporis œconomia. Solida  
pariter ac fluida aggrediuntur, & partes vel durissimæ ( ossa )  
quæ textū densiore , profundiore sitū magis deffendi videren-  
tur , non rariū tamen , imò frequentiū lāduntur quam cæ-  
teræ. De earum fracturis tractaturi , cum de ossibus generalia  
quædam præmittere vetet angustior pagina , eorum struc-  
tam , connexionem & usus desideranti cuilibet pro viribus  
exponere conabimur.

**FRACTURA** dicitur solutio continui à causâ externâ , &  
contundente in osse producta. Diversimodè inter se fracturæ  
differunt. Si species ad essentiam morbi , dividuntur in sim-  
plices , compositas & complicatas. Si figuræ ratio habeatur,  
aliæ sunt transversæ , aliæ obliquæ : fracturam in longum non  
admittimus , quia nullâ vi ossa hoc modo potius quam trans-  
versa aut in fragmenta disrumpi posse concipiuntur. Ex nu-  
mero ossium fractorum , & extensione fracturæ habebis com-  
pletam & incompletam. Ratione temporis dividuntur in  
recentes & antiquas , ratione loci fracturæ , in medium , su-  
periorem , inferiorem , & circâ juncturas. Dimotione deni-  
que ossium multūm inter se discrepant ; extrema enim ossis  
fracti aut suum retinent locum , aut crassitie adhuc paucâ  
inter se contingere possunt , aut demùm ita è sede suâ di-  
moventur ut aliud super aliud efferatur.

**C A U S A S** Fracturarum externas omnes esse non injuriâ  
dixerimus : internæ tantūm prædisponunt undè impropriæ  
causæ dicuntur. Ossa quidem scorbuto mollescunt , roduntur  
carie , medullaris succi inopiat exsiccantur , lue venereâ , ra-  
chitide , cancre ita afficiuntur , ut vel levissimo impulsu ,  
immò & proprii corporis pondere frangi possint : sed sem-  
per determinans & externa causa requiritur : causæ autem  
illæ sunt ictus , lapsus , motus violenti , & omnia quæ exte-  
riùs corpori impinguntur.

**FRACTURARUM** signa ex visu , tactu , auditu desumuntur.  
Oculis cognoscitur membra conformatio prava , brevitas ,  
curvatura : sed hæc num à naturâ num à læsione orientur  
perpendendum. Digitis deprehenditur ossis inæqualitas ,  
depressio nempe , seu prominentia. Signum autem his cer-  
tius crepitatem an ad tactum , an ad auditum refe-  
ram haud scio : ita enim inter se collidi extrema ossium  
pertractando sentimus , ut digitis , si dicere ausim , audia-

H

3

tut crepitatio. Unum tamen videndum ne scilicet hæc collisio cum emphysematis , aut tendinum ægrè in vaginis de-currentium strepitū confundatur. Alia sunt minus certa signa , dolor , tumor , debilitas partis læsæ , impotentia mo-vendi membra , &c. Sed his omnibus , quippe quæ dubia sint & æquivoca , non confidentiùs inhærendum.

ACCIDENTIA Fracturarum triplicis generis distinguuntur ; nempe præexistentia , ut caries , exostosis , ulcus , ac varia quibus aut vitiantur liquores , aut ossa fragiliora evadunt ; concomitantia , quæ vel ex iectu nascuntur , ut vulnus , hemorrhagia , contusio , luxatio , ossis comminutio , fragmenta vestitum , cuspides armorum , glandes plumbeæ in vulnus aut in ipsam ossis substantiam immissa , vel ex ipso morbo ortum ducunt , ut vesiculæ cutaneæ , eresipelas , subsultus per somnum , insomnia , convulsio , stupor , febris , inflammatio , abcessus , fistulæ , gangræna ; subsequentia demùm ut anchylosis , atrophia , deformitas calli , ossis curvatura , decurtatio membra , vel ipsius etiam elongatio.

Ex numero & gravitate accidentium quæ fracturas comitantur , facile dignoscitur quam prudenter & cautè in prognosi enuntianda agere debeat Chirurgus. Itaque sive leviores , sive graviores sint fracturæ , ita suas prædictiones instituat ut juxta positis partibus , loco ossis fracti , complicationi morbi , ætati , temperamento consulat. Sunt enim regulæ quædam quarum auxilio fretus tutius certiusque judicabit. Fractura v. g. simplex minus adducit periculi quam compo-sita , hæc minus quam complicata. Transversa facilè curatur , & ubi aut nulla aut parva dimotio , nullâ quoque aut ferè nullâ operatione opus est. Sufficiunt apta deligatio , quies & generales curæ ; non item in obliquis , difficilè admodum aliquandò reducuntur , & difficilius adhuc in sede suâ continentur. Ubi verò mole gravi perculsum os conteritur & comminuitur , tūm gravissimum imminet periculum : cuspides & anguli carnes dilacerant , distendunt nervos , la-dunt yasa , & ægro mutilationem aut ipsam mortem mi-nantur. Cum in medio os frangitur , tutior cura , cum pro-pe juncturas , dubia , cum in ipso articulo , ferè desperata videtur : ossa graciliora difficilius retinentur ; completa fractura incompletâ periculosior : quæ in pedibus occurruunt lon-gè pejores quam quæ in brachiis : recentes felicius curantur quam veteres. Si nulla adsit prædisponens causa , si tempera-

A ij

mento forti gaudeat æget, ætate floreat juvenili, feliciores sperantur exitus, si aliter, tristiores. Hæc sunt præcepta quibus ad judicium ferendum dicitur Chirurgus.

In eo consistit fracturatum cura ut partes dimotæ in se dem reducantur, deligatione contineantur, debellentur si quæ sint, accidentia, futura præcaveantur. Partes reducuntur operatione tripartitâ, nempe extensione, contra-extensione, & conformatio. Extensio & contra-extensio fiunt manibus, laqueis, aut etiam machinamentis. Hoc ultimum medium proflus rejicimus, summumque Chirurgiæ præceptumducimus manus semper præstare machinis. Extensiones celebrantur, ut extrema ossis fracti à se invicem distent, & sua parti longitudo & rectitudo restituantur. Judicio, conatu, industria ita gubernentur, ut sequantur lineam rectam, & neutra alteram supereret. Fiant gradatim, & paulatim crescant, ut sic leniter & sine divulsione asperitates & cuspides fracturæ ab anfractibus alterius extremitatis liberentur. Tum opus Chirurgi partes conformare, repellere fragmenta, si quæ sint, extremitates apprimè coaptare, & id modò pollicibus, modò volâ manus, modò duobus manibus applicatis perficiet. Ubi debito situ partes approximatae fuerunt, tum idoneâ fasciatione continenda sunt. Fasciatio pro variis fracturis varia; sed generaliter dividitur in circularem, & intersectam quæ vulgo octodecim capitum dicitur. Prior in simplici, posterior in complicatâ fracturâ usurpatur; tunc adhibeantur medicamenta, splenia, ferulæ, chartæ, &c. Id imprimis videndum ut nec laxior, nec strictior sit deligatio. Postea pars in situ permanenti collocanda, qui quidem is esse debet ut molliter & tardi decumbat membrum, nec impediatur liquorum circuitus: post certum tempus nova applicanda fasciatio, cuius temporis spatium indicabunt accidentia & natura morbi. Sunt plurimæ utiquam curæ per totum tempus adhibendæ, ex quibus neglectis multum incommodi nasci posset. Pars, si pilis obtegatur, radenda: medicamine spirituoso, resolutivo, aromatico splenia imbueda. Emplastra proflus non ut inutilia tantum, sed ut nociva rejiciantur. Fasciæ membra gracilitati amplitudini-ve accommodentur: longius à fracturâ applicentur vires, ne ligaturâ quæ musculos decurrit, eorumdem contractilitas augetur. Si membrum sit inæquale, vacuum repleatur aut pluribus spleniis, aut uno graduato, aut contortis &

60

reversis fasciæ jactibus. Semper in casibus periculosis præponatur octodecim capitum deligatio, quo facilius cuilibet accidenti consuli possit. Sæpius visitetur æger; si laxior deligatio, stringatur, si strictior, laxetur. Generalia aliundè remedia adhibeantur, sanguinis missiones plus minus-ve repetitæ, potus frequens & refrigerans, diæta rigidior vel uberior, &c. Chirurgus hæc; natura cætera præstat. Calli generatio ejus opus, de cuius Mechanismo, multi varia : tantam Litem Componere verat propositi ratio: fracturæ enim non Eloquentiâ & argumentis, sed methodicâ deligatione & remediis curantur.

**Has Theses, Deo Juvante, & præside M. PETRO  
JOANNE-BAPTISTA BOTENTUIT LANGLOIS,  
Artium, & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur PETRUS-  
MATHURINUS BOTENTUIT LANGLOIS, Parisinus in almâ  
Universitate Parisiensi, Artium Liberalium Magister, in  
utroque Jure Licentiatus, nec non in supremâ Senatus curia  
patronus.**

**P A R I S I I S.**

**I N R E G I I S C H I R U R G O R U M S C H O L I S ,**

**Die Sabbati 18<sup>a</sup>. Julii à sesquicundâ post meridiem ad septimam anno R. S. H. 1772.**

**PRO ACTU PUBLICO**

**E T**

**MAGISTERII LAUREA.**

---

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirug. Collegii  
Typographi, 1772.

Digitized by srujanika@gmail.com

Digitized by srujanika@gmail.com